+

Rde in Christo Pater

P. C.

Ultimae Ræ Væ 19. Julij ad me, et 28. eiusdem ad P. Cornaeum datae mi:
rum in modum me recrearunt, quod videam Ram Vam in tanto
periculo non modo prospera uti valetudine, sed ex ~~Vulcano~~ Plutone Poda:
lirium calamo etiam contra pestem depugnare, nec dubito quin
prospere, pro vigenti in eo pugnandi genere solertia. Macte ergo ani:
mo Pater! caelum (sed in astris) expugnasti, terrae bellum intulisti,
Gigantum et Vulcani socius; ne hosti tam lurido victas concede
manus. At o quando Itinerarium habebo! quando Subterra:
neum Mundum, penum ditissimam pro mea Magia Naturali!
Depelle quaeso pestem, et suspicionem pestis, ab Urbe et Italia, ut desidera:
tissimi tui libri ad me cito advolent. Vellem, si fieri potest, sarci:
nae librorum adiungeres meam Musurgiam Kircherianam Vindi:
catam contra Maibomij calumnias, quam cistae P. Kolero tradi:
tae incluseram; erit enim mihi usui in Magia Musica. Vellem
praeterea mitteret mihi vel cum eadem sarcina, vel per postam
P. 2. Aa. Aa 2. | toties petita folia Musurgiae, nempe P. 2. et Aa. Aa 2. Quid
tam altum silentium P. Valentini Rae Vae socij? num aegrotat? num
discessit? num scribere non vacat? Expecto avidissime Musaeum
Kircherianum ab ipso descriptum, atque figuris aeneis ornatum
curabo iterum Francofurti imprimi. Quaeso, si fieri potest, mittatur
mihi exemplar unum saltem manuscriptum, si nondum est im:
pressum. Non solum separatim edi curabo, sed etiam Magiae meae Uni:
versali inseram, quae in tanta librorum mihi utilium inopia
belle procedit. Iam absoluta est, et sub censura versatur Pars I. Opti:
ca, decem Libris comprehensa. Verso nunc animo, nunc calamo
Partem II. Acusticam totidem libris comprehendendam. Subsequen:
tur, si DEUS vitam largiatur, Pars III. Mathematica, et Pars IV.
Physica. Ra Va cum socio suo possent mihi copiosam et raram sug:
gerere materiam. Pantometrum Kircherianum, et Mechanica Hy:
draulico-pneumatica tandem aliquando imprimuntur, pulcherrimis ae:
neis ornati figuris. Pantometrum dedicatum est primario Angelo meo
Custodi, secundario Rae Vae, cuius modestiae cedendum fuit. Ram Vam
sic alloquor (titulos honorificos expunxerunt Censores, et aliorum offensam
vitandam)

R. P. ATHANASIO KIRCHERO
E SOCIETATE IESU.

Vincere me cogis, et non ingratum, Pater Reverende, Praeceptor Ob:
servandissime. Te respiciebat Pantometrum meum, quia Tuum; no:
men Tuum clarissimum fronti impressum gestare cupiebat, quia
digniorem Te nesciebat. At expugnat modestia Tua, et qua faci:
lem se praebet omnibus, insita pronitate, difficilem se mihi soli,
en altera iam vice, ostendit. Innumera in me contulisti bene:
ficia multorum annorum decursu; hoc primum, ubi Praeceptor Aer:
aria tua Mathematica Discipulo reclusisti, Romae deinde, ubi circa
quasi quasi in tam incomparabili tot Voluminum thesauro Litterario

Reipublicae communicando dignatus es, uti optasti; et nunquam difficilem
mihi, nunquam votis meis repugnantem expertus sum, quam cum Mun-
do extare volui publicum meae erga te gratitudinis testimonium. Quan-
tum laborasti, ut quae cum laude tua coniuncta erant in ea Epistola,
quam Oedipo tuo praefixi, expungerentur? Nunc cum Mathesis mea,
quam * te hausi, te primum inter mortales omnes salutare cupiat,
quia non alium agnoscit quem colat impensius, et a quo lumen speret
copiosius; quod timeo ne ad idem recurras argumentum, rogas, obte-
staris, modis omnibus persuadere conaris, ut ne tali honore te affici-
am. Liceat dicere quod sentio; ni Modestia tua, ni Tuus in me affectus
perspectus esset, proximum foret cogitare, dedignari te ad haec munuscula re-
spicere donaria. At omnem detergit suspicionem Tuum benevolentissimum, quod
infra subiicio, de rebus meis testimonium. Vincat ergo iam iterum Mo-
destia tua; veniet fortasse tempus, cum victas dare cogetur manus, et
meo erga Te affectui laxare habenas. Suadet, alium eligere Maecenatem.
Ita feci; et quia in terris, quem tibi praeferrem, non reperi, e caelo
accersivi, Angelum meum Tutelarem, cui post DEUM vitae, meaque debeo
omnia. Vale Amantissime Pater, et Praeceptor Colendissime, ac studiis
meis favere, quod fecisti semper, ne desine. Herbipoli 16. Augusti 1656.

Tuus in Christo infimus
Discipulus
Casparus Schott.

Mechanicam meam, hoc est, fontes dedico Fonti Specioso, seu et Eminentis-
simo nostro Principi Ioanni Philippo a Schonborn. Facere tamen non po-
tui, quin et R.ae V.ae partem aliquam consecrarem in fine Operis, in
suum volumen.

APPENDIX

Experimenti novi Magdeburgici, quo vacuum aliqui
stabilire, alii evertere conantur;
Quod quidem et
Inventum primo Magdeburgi a Praenobili et Amplissimo
Domino Ottone Gericke Urbis illius Consule; perfectum
vero, et novis additamentis auctum Herbipoli
in Arce Ducali et Episcopali MARIAE Virgini sacra.

VIRO
Admodum Reverendo P. ATHANASIO KIRCHERO,
suo in Mathematicis Praeceptori omni observantia
colendo
P. Casparus Schott e Societate IESU
S. P. D.

Ultimum te in hoc meo Opusculo compello, Pater et Praeceptor Re-
verende, qui primus esse debueras, ob tuum erga me meritum, me-
um erga te affectum, utrumque maximum, utrumque ἀνεξάντλητον.
Et illam ad te derivo, cum aqua omnis, omnes fontes debebantur,
utpote Mari e quo fluxere. Mare es, et Mare immensum, ob eru-
ditionem eximiam, omnigenam, inexhaustam, Orbi toto notissi-
mam. Huic ego Mari assidens annis non paucis, primum quidem
Discipulus in hac Alma nostra Herbipolensi Universitate, Romae dein-
inde iunctus Litterariis Socius, eo usque proluit labra mea, ut aquas
eructare, fontes formare iam audeam. Ad Te ergo redire debebant
aquae et fontes omnes, et vero etiam redissent, nisi ad Fontem ali-
um, FONTEM SPECIOSUM, et sua sponte, et meo etiam suasu in-
clinassent. Patieris tamen, ut vel hoc Ultimum stillicidium ad te deri-
vetur, Experimentum inquam novum de Vacuo, duplici titulo Magde-
burgicum, et quia Magdeburgi inventum, et quia in Arce nostra Ma-

riaburgica perfectum. At vacuum mihi offers, inquis? Imo minime vacuum, Tuo etiam calculo, effectu certe, si tibi gratificandi animo plenissimum, et vel hoc nomine tibi non ingratum, quod ab Eo non nihil habet, a quo Te olim sanitatem, et cum sanitate doctrinam accepisti. Vale Pater et Praeceptor Colendissime, et studijs meis favere non desiste. Herbipoli 15. Augusti 1656.

Praecedentes binas Epistolas dico, et animo dico. Nunc dicerem, si permitteretur, Solo quod affectui meo indulgere non liceat. Misi in ultimis meis Titulum Iconismi a Dno Harstorffero scriptum. Chartas tradidi Dno ~~ab Ost~~ Joanni Henrico ab Ostein, Ecclesiae Cathedralis Herbipol. et Equestris Comburgensis Canonico, meo in Ethica discipulo, qui ad Seminarium Germanicum abit. Commendo eum plurimum R.ae V.ae, et omnis insignis modestiae et probitatis juvenem. Ostendat ipsi suam Galeriam, ut videat commendationem meam apud R.am V.am valuisse. Librum germanicum a D. Harstorffero missum non mitto R.ae V.ae, ob causas nuper scriptas. Significabit tamen R.ae V.ae pro utroque dono gratias agere dicto Dno, ne quid sinistri de me suspicari queat, si nihil ad eum R.ae V.ae nomine transmisissem. Hisce finio R.ae V.ae sacrificijs me commendo.

Herbipoli 16. Septembris 1656.

R.ae V.ae

servus in Christo

Casparus Schott.

+

Reuerendo Patri in Christo
P. Athanasio Kirchero So:
ciet: IESV

Romæ.